Misc. 650 n 15 23

DE S. SPIRITVS ADVENTV ORATIO

AD SANCTISS. D. N. VRBANVM VIII. PONT. OPT. MAX.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

HABITA IN SACELLO PONTIFICVM QVIRINALI

A CHRISTOPHORO MARCHIONE SCHINCHINELLO
Sem. Rom. Conuict.

VRBANO OCTAVO PONTIFICI OPT. MAX.

CHRISTOPHORVS MARCHIO SCHINCHINELLVS F.

SPIRITVM natura ſua volatilem, quem neſcis vnde veniat, aut quo vadat, manibus hodie Chriſtus cõmittit Apoſtolicis, ac proinde Tuis, Beatiſs. Pater; vt proferens in tempore de theſauris Eccleſiæ vitalem hunc Ventum, Ezechielis exemplo, ſola vocis efficacitate, diſperſa colligas, Chriſtianæq; charitatis vinculo nectas, quò ex pluribus membris, vno Spiritu animatis, æternùm viuat ſub vno capite, vno in

corde, corpus vnum. Hoc de argumento, quam coram Te dixi orationem, Tibi nunc ſupplex defero, reddens videlicet, quod Tuis auſpicijs mihi natum eſt in Tuo; cum non modò aliquam rerum cognitionem, ſed vel ipſam vocem Tua in Vrbe formauerim, ad quam me pene infantem magnus Patruus iamdiu aduocauit, ne ſolus BARBERINI mellis illecebra frueretur. Quamobrem Diuino me nunc de SPIRITV perorantem excipies ſpero perbenignè, quem tam humaniter humani ſpiritus fere elinguem excepiſti; vt poſsim ego fortunæ oppido gratulari meæ, qui auditus, dum primùm loquor, ab eo ſim, cuius ſacroſancta vocis oracula venerabundus audit Chriſtianus orbis.

DABO

DABO VOBIS SPIRITVM

ET VIVETIS.

Ezech.c. 37.

SPIRITVM Domini, Beatiſſime Pater, qui naſcente Mundo, noſtras ferebatur *Gen. c.1.* ſuper aquas, vt eas fouendo animaret, extinxerat in *1. ad Theſſ. c.5.* ſe olim primus ille de terra terrenus Adam, dum im- *1. ad Cor. c.15.* moderata auiditate, grandiore deuorato pomo, omnem ſibi vitæ Spiritum intercluſerat. Iacuit diu expoſitum cælo, cadauer *S. Aug. in Ench.* inſepultum, ne quis vnquam dubitaret extinctum, *S. Th. p.p.* & vt eundem agnoſceremus omnes Reparatorem vitæ, quem habueramus Auctorem: neque enim reſtaurari opus abſolutiſſimum ab alio poterat, *S. Leo ſer.* quàm primo ab Artifice, qui penitùs cognoſcens *Pſal. 102.* figmen-

figmentum ſuum, ſicut inſpirando in faciem eius
Gen. c. 2. ſpiraculum vitæ, quondam animauerat, ita inſuf-
Io. c. 20. flando deinde in Apoſtolos, hoc eſt in illud quod formauerat Eccleſiæ corpus, Spiritum ei, vitamq; reſtituit. Quamobrem iure Domini diem hunc, tamquam Eccleſiæ Natalem, ſumma veneratione recolimus, in quo immiſſo in eam vitalis gratiæ
Act. c. 2. *ad Tit. c. 3* Spiritu, conſumatum eſt noſtræ regenerationis
Exo. c. 20. opus; quemadmodum Religione tanta celebrabat olim Synagoga Sabbati diem, in quo animato
Gen. c. 2. homine, noſtræ fuerat generationis opus abſolutum.

Tribus potiſſimum indicijs latens vitæ Spiritus innoteſcit, calore, voce, ac motu. quid ni er-
Io. c. 14. *ad Col. c. 3* go exanime dixeris, Chriſto eius vita in cælum
Act. c. 1. abeunte, corpus Eccleſiæ, quod iners ac mutum
Io. c. 4. *Luc. c. 22.* per tot dies ſedit in cœnaculo velut in tumulo; quod mori incœperat, quando auulſus à Chriſto Petrus, quantum iactus eſt lapidis, conſiſtere primùm ac vigilare non potuit; tum factus inceſſu tardior, ſequebatur eum à longe, donec refrige-
Matth. c. 24. ſcente charitate (quæ animæ anima eſt) ne publico quidem igne ſatis recaluit; immo qui paullo
Luc. 22. ante audacter animoſa in verba proruperat, euaſerat ſubito in Chriſti cauſa elinguis, & caligantibus
Matth. c. 26. vicina morte oculis non nouerat hominem, quem in oculis habuerat tandiu, quem vnicè nouerat,

Et verò mori debuit; quod meliore vita debuit *1. ad Cor.*
renaſci; vt peccatis ſemel mortuum, iuſtitiæ ani- *c.10.* *ad Rom.c.*
mante Spiritu, æternùm viueret Deo. Quare Chri- *6.*
ſti in cælum itio fuit nobis oppidò neceſſaria, vt è *1.Petr.c.2*
cælo cæleſtis Adam liberaliter demitteret in filios *Io. c.16.* *1. ad Cor.*
Spiritum ſuum, qui diffuſus in corda noſtra, no- *c.15.*
biſcum perpetuò inhabitaret, non iam Spiritus *ad Rom.c.*
pertranſiens, & non ſubſiſtens, ſed permanens in *5.& 8.* *Pſal. 102.*
homine, qui Spiritu facta carnis mortificans, non *Gen. c.7.*
iam erat caro, ſed Spiritus; quo Deum, qui Spiri- *ad Rom.c.*
tus eſt, multò referret expreſſiùs, quàm dum eius eſt *8.* *Io.c.4.*
ad imaginem procreatus. *Gen c.1.*

Fuit olim ignis conſumens Deus, & ſpiritus ex- *Deut. c.4.* *Prou.c.17*
ſiccans oſſa: vni Moyſi, inaudito antea miraculo, *Exod. c.3.*
ardere viſus eſt, & non exurere. hodie primùm non modò commune fit omnibus, quod fuerat ſingulare; ſed maiore prodigio, vitam ignis non adimit, ſed affert copiosè adeo, vt præſtantiùs ſint pluuio hoc igne vitæ omnia reſtituta, quàm fuerint quondam aquarum alluuione deperdita. Quod *Gen. c.7.* *Io.c.6.*
ſi dum verba vitæ æternæ loqueretur Chriſtus in *Luc. c.24*
via, ardens quidem erat Apoſtolorum cor, ſed non erumpebat in flammas; quo charitatis incendio exarſiſſe dicendum eſt hodie, cum exarſerint eo, quo ſtatim potuit terrarum orbis feliciſſimè conflagrare? Nihil eſt igne actuoſius, quippe qui ſi agere deſinit, deſinat eſſe. Ignem Chriſtus venerat in *Luc. c. 12.*

terras

enim Spiritus carnem, & oſſa non habeat, carnem tamen & oſſa animat, dum diſperſa colligit vincitq; neruis, ſicca carnibus inſtruit & cute veſtit, iacentia erigit, atque armat in hoſtem. *Luc. c. 24.*

Noſtrum eſt, niſi degeneres ſimus, Parentum magis referre facta, quam ora. quod natum eſt *Io. c. 3.*
ex carne, caro eſt: ſed non permanebit in homine *Gen. c. 7.*
Spiritus Domini, dum eſt caro: Renati ex *Io. c. 3.*
Spiritu, ne vnquam in nobis deficiat, *Pſal. 76.*
Spiritu ambulemus, ardeamus cha- *ad Gal. c. 5*
ritate, nihil loquamur, niſi
quod ſuggerit ac lo- *Io. c. 14.*
quitur in nobis,
obmute- *Luc. c. 4.*
ſcen-
te Spiritu mendacij, Spiritus *3. Reg. c. 22.*
Veritatis. *Io. c. 15.*

D. I X I.

73

Imprimatur, ſi videbitur Reuerendiſs. P. Mag. Sac. Pal. Apoſt.

A. Torniellus Viceſg.

Imprimatur.
Fr. Nicolaus Riccardius Sac. Pal. Apoſt. Mag. Ord. Prædicatorum.

ROMÆ, Typis Franciſci Corbelletti.
M D C X X X V I.

SVPERIORVM PERMISSV.